2562

<3660675640013

<3660675640013

Bayer. Staatsbibliothek

Sull 5. 908

Collegii Soc. Jesu Monasterii
1686

AVRIFODINA GALLICA,

Ordinibus

IMPERII ROMANI,

R

Ab

EVERARDO WASSENBERGIO

Reserata & Obstructa.

ANNO DOMINI M. DC. LXXIII.

Ba[illegible]
Staat[illegible]ek
M[illegible]

AURIFODINA GALLICA

Reſerata & obſtructa.

PRÆSENTIUM momenta temporũ, momenta rerum, æquâ judicii mei lance, Zygoſtata, ut opinor, iuſtus, rectè ponderans, Vos Imperii Romani Ordines, in Rate Bonâ Congregatos, breviuſculo hoc ſcripto ut alloquerer, neceſſarium exiſtimavi. Videmus & ſtupemus, vicinam Galliam aſcititiâ Majeſtate faſtuoſam, adorari ambitioſam, generis humani velut arbitrã, Europæ imminẽtem, è mente propria, execrabilem per philautiam,

Orbis Dominam, erecto collo, ſuperbo vertice, cothurnato greſſu, viis modiſque variis laſcivire; ſuásque divitias & opes ædificiorum magnificentiâ, ſuppellectilium ſplendore, mundo muliebri, & exquiſito veſtium ac epularum luxu oſtentare; in extruendis quoque munitionibus, ſtructurâ portuum, claſſium apparatu, & corruptionibus Aularum auro ſuo infinito undique profuſam. Et hoc illam Galliam, quæ ad unicum & ſolum Burgundiæ Ducum nomen aliquando trepidavit, ſub quorum labaro & ejuſdem Regibus militarem teſſeram ad Leodium audire ſolenne fuit; quæ adhuc ſub Franciſco I. tribus legionibus, ad normam & diſciplinam militiæ Romanæ veteris tum erectis, defe-

ctu

ctu pecuniæ non ſuffecit. Ut ſileam de majorum noſtrorum ævo, quo in duodecim triremibus, & bellicis viginti navibus inſtruendis, ac ſuſtentandis, Monetæ Deæ gratiâ deſtituta, laboravit, cùm Regii proventus non ad milliones florenorum decem, imò & ad octo vix aſſurgerent, qui nunc ultrà Sexaginta excrevêre; quibus jam Gens illa inquies & ambitioſa, dominio terrarum omnium, marium, & Oceani ipſius imminet, nunquam ceſſatura, quàm diu ſuis illis mediis abundabit.

At quæ hujus tam repentini cauſa? profectò non è ſui fæcunditate ſoli, quâ multas Germaniæ, Hiſpaniæ, Italiæ, aliorúmque circumjacentium Regnorum ditiones, vel ipſo orbe conſcio, non æquat. Nec

è prudentiâ Miniſtrorum, quâ aliorum Regum, ſolidioris utique doctrinæ, atque judicii maturioris, magníque in ſuos principes amoris, obſequióque prompti, multùm Gallicos antecellunt. Neque è Provinciarum unione, cùm ampliora Hiſpaniarum Regi, Noſtróque Cæſari ſint Dominia; & priſci etiam Romani, jam tum Germaniam potentiorem ipſâ Galliâ judicarint. Quid enim Tacitus, cùm, expugnatis legionum Hybernis, de Imperio Galliarum diſceptaretur, noſtro de Civile? *Cæterùm*, inquit, *neque ſe, neque quemquam Batavum, in verba Galliarum adegit: ſiſus Germanorum opibus, &, ſi certandum adverſus Gallos de poſſeſſione rerum foret, inclytus famâ, & potior.* En Civilem Germanorum opibus diſertè, ad-

Lib. 4 Hiſtor.

ver-

verſus Gallias & Gallos potiorem, id eſt, potentiorem. Minùs etiam è bellicosâ Nationis indole, delitiis aſſuetæ, mollis, impatientiſſimæ laboris, &, ſecundùm ſcriptores antiquiſſimos, imbellis, *quæ*, ut ait ſummus authorum Julius, *à Germanis aſſuefacta ſuperari, multísque victa prælìis, ne ſe quidem ipſa cum illis virtute comparabat.* Et tota Gallia non decennio Romanis reſtitit, equitatum per Germanicum à Cæſare debellata, cùm & in Hiſpaniâ annis propemodùm ducentis, & cum Germaniâ plùs ultra fuerit dimicatum, quæ nunquam tamen Imperio Romano ceſſit. Et de Hiſpania quidem hæc L. Annæus Florus:

Lib. 6. de bell. Gall.

Hiſpaniæ nunquam animus fuit adverſus nos univerſæ cõſurgere: nunquam vires ſuas conferre libuit, ne-

Lib. 2. cap 17.

que aut Imperium experiri, aut libertatem tueri ſuam publicè: alioquin ita undique mari Pyrenæóque Vallata eſt, ut ingenio ſitûs nec adiri quidem potuerit. Sed ante à Romanis obſeſſa eſt, quàm ſe ipſa cogno-ſceret; & ſola omnium Provincia-rum vires ſuas, poſtquàm victa eſt, intellexit. In hac propè ducentos per annos dimicatum eſt. Hæc Florus, qui deinde ad Viriati victorias deſcendit. De Germaniâ verò Noſtrâ Tacitum audiamus. *Sexcenteſimum & quadrageſimum*, ait, *annum urbs noſtra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coſſ. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani Conſulatum computemus ducenti fermè & decem anni colliguntur: tam diu Germania Vincitur.* At quæ mox ſubjungit quàm non ſunt pro Germanis nobis

De moribus Germ.

nobis glorioſa? Legant & erubeſcant Galli; qui & Gergoviæ, & Alexiæ, & Uxellodini, munitiſſimis locis clauſi, &, ut apparebat, tuti, tamen ea, & in iis ſe defendere adverſus Cæſarem nequivêre. Quid autem & de fortiſſimis in Hiſpaniâ Numantinis Florus? *Numantia quantùm Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus* (ſunt ejuſdem verba) *inferior; ita virtutis nomine & honore par omnibus, ſummúmque ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ decus: quippe quæ ſine muro, ſine turribus, modicè edito in tumulo apud flumen Duriam ſita, quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum, per annos quatuordecim ſola ſuſtinuit; nec ſuſtinuit modò, ſed ſæviùs aliquantò perculit, pudendisque fœderibus affecit.* Magis adhuc Hiſpanorum hanc fortitudinem commendant, quæ,

Lib. 2. cap 18.

interjectis pauculis, subjungit. *Hostilium Mancinum quoque assiduis cædibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini Viri quisquam sustineret.* Et quid aliud fortissimis de Germanis, & meticulosissimis de Gallis Cæsar Julius? *Hos ne vultum quidem, atque aciem oculorum Germani militis, se ferre posse,* rotundè sibi fassos disertè tradidit. Commentaria ipsius consulant, hæc verba ipsius propria videbunt.

Sed nimirum, hæc nostro sunt ab ævo remotissima, suetis modulis cantabit Gallia. Obiiciat autem & illa nobis, bellis novissimis, Rocrojam, Lendium, & Atrebates, in Belgio; cui reponemus in eodem Belgio, & quidem in Arthesia, cladem Gallicam, & Victoriam à Francisco de Mello ad Hun-

courtium obtentam, tum & S. Audomarum, Theodonis Villam, & Valencænas; Fuentarabiam in Cantabriâ, Ilerdam, vulgò Leridam, in Goth-Alaniâ, ſeu Cataloniâ, Dolam in Burgundiâ. *Et quid unquam, obſecro* (ut propriis meismet verbis, è meâ Paræneſi ad Germanos pro communi Patriâ, libertate, gloriâ tuendâ, ſumptis utar) *in nos exteri, niſi ſub Germano Duce; vel Duces exteri, abſque militibus Germanis, faſtis & annalibus geſsêre digni? Quicquid in Alſatiâ, Brisgoviâ, ad Briſacum, hoſtis vel amicus ſucceſſuũ miratur, ſuſpicit, ſtupeſcit, id totum dextera, totum capulus Alemannus dedit. Quàm enim ſtupidi, & imbelles, & Noſtram ad fortitudinem enerves, ubi ſoli; aut noſtris viribus deſtituti, ſuarum ipſi legionum, militum, cohortium, alarum numero potiores?*

Ad Dutlingam, exemplo novo, totus, integer, unius legionis instar, exercitus oppressus; ad Friburgum cæde miserabili imminutus; ad Merghenthalium, Nostris à paucioribus concisus, & fædissimè fugatus. Iam, ad Allerhemium, quantam ferociam, furorem quantum, quantum impetum, & confidentiam in suis nimiam, generosi, fateor, nec infelicis, sed Galli Prinicipis, Germani pauculi non emendavimus? Vt congressus ille Nostros porrò non detrectavit? Vt Virtutem Nostram non abhoruit? Vbi Archiducis deinceps armorum fulgorem vidit, ipsius fulmina non toleravit; Rhenúmque transiens ad Sequænam perrexit; Virtutémque Nostram, vel invitus candidè laudavit, & candorem præsenti vulnere consignavit. Noster Leopoldus autem, ut jam docuerat, Gallorum esse vicinos forsan alicubi leones non item aquilas terrere, ex-

pedi-

peditionem illam, ut apparebat, æ-ſtatis integræ, ſi non ætatis, fugatis hoſtibus generosè victor, compendio dierum aliquot incluſit. En Gallicam fortitudinem ſuperioribus Noſtrisq; ſęculis eandem; quę quantę ſit conſiderationis & valoris, nuper etiam in portu Chicheri imbelles Mauri, & in Candiâ molles Turcæ docuerunt, quorum tamen diverſos impetus, & formidabiles inſultus, poſt Gallorum (dicámne abitum an fugam?) ſtupendo robore Germani pauci ſuſtinuêre & fregêre.

Addamus, & omnes ferè Domûs Capetinæ Reges, peditatũ ſemper Gallicum, quaſi huic non ſatis fiderent, Helvetico firmâſſe, & modernum Ludovicum Regem nunc vel maximè in externo milite legendo, non in Helvetiâ duntaxat,

xat , ſed & in Germaniâ , Scotiâ, Hyberniâ , Sabaudiâ, pedemontio , Hetruriâ, ac ditionibus Mantuanâ, Mutinẽſi, & Parmenſi, Verbo , omni in Longobardiâ laborare , quò non modò hiſce ſuis , uti reor, anteſignanis & triariis , acierum ſuarum frontem atq; tergum ſuísmet Gallis, ut crediderim, in medium receptis, muniat, ſed & Germanico, imò & nunc Helvetico, gravioris armaturę equitatu ſuum animet. Parùm tamen ſapienter mihi , ſalvâ Veniâ , illi Principes agere Videntur, qui, quòd ꝑmptiſſimum & ferociſſimum ſervitutis ſuæ , alienæ ambitioni potentiæque , ſibi etiam ad extremum imminenti , famulari & ſervire connivent, aut permittunt , impoſterum infirmiores ſuísmet viribus

ob-

obruendi, mucronibus ſuís-met jugulandi. Qui enim faciles ſanctiſſimis etiam promiſſis, addam & juramentis Luparæ, aures præbent, horologii Gallici fallacia momenta, immemores Belgarum, non ſatis capiunt, fraudulento eſus indice ſeducti. Hæc paulò fuſius eò retuli, quò Orbi liqueat, arrogantem Galliam nequaquam Nationis ſuæ fortitudine, minùs etiam aperto ac generoſo Marte, ſed tantùm arte, imò artibus ſuam illam ad magnitudinem graſſari.

Eſſet ex Ordinibus Imperii Romani non nemo forſan, qui has ſolertiæ Gallicanæ vias omnes, & ſeorſim ſingulas ſibi exhiberi anhelaret, cujus ego deſiderio libentiſſimè ſuffragaturus, earum artium, quibus

Gallia

Gallia ſtupendam illam ſuam ad potentiam valeſcit, eſſe primam auſim dicere, quòd ubique, diſſidiorum ſemina ſerendo, juncta dividat, & cohærentia diſſolvat, ut ſuas interim haud procul domo ſpicas metat. Ita cùm Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Vires, ſibi graves, ſuóque ferro haud frangi faciles ſentiret, Atlanticum ad Oceanum Portugalliam & Algarbiam, Ducem per Pragantinum, ad rebellionem movit; & nuperrimè, contra Pyrenææ pacis ſacroſanctas leges, juramento Regio firmatas, per Shombergium in rebellione fovit. Ita motam Neapolim per Ducem Guiſium adverſùs Iberiam excitare cœpit; Goth-Alaniam excitavit; & Monacenſem Principem Regis Catholici Imperio ſubdu-

duxit. Ita & Regno Sueciæ, cladem poſt Nordtlinganam ad concordiam inclinanti, armorum in Germania pertinaciam, adverſùs Cæſarem, non ſine multis auri myriadibus, perſuaſit ; quibus etiamnum triplex illud fædus per Colbertios in Brittañia, per Pomponios & Courtinios in Scandinaviâ diſſolvere conatur, æquè Holmiæ, quàm Londini gnava ; inſtructos quoque per Gravellios Vobis in Ordinibus, ſi poſsibile, ſimiliter componendis Ratisbonæ eadem ; pérque Gremonvillios Viennæ etiam ipſamet in Aula Cæſaris audaces. Nimirum religioſus ille Ricolocius raræ politices Magiſter, dilectæ ſibi dudum Galliæ jam altùm acclamavit, & inculcavit ; *divide & imperabis.*

Gal-

Gallicarum artium ſubjungo alteram, priori admodùm affinem. Controverſiis Chriſtianos, & noſtros maximè Germanos inter Principes ſuborientibus vel excitatis, confeſtim Gallia ſuos per ablegatos, etiam non vocatos, & hinc nonnunquam minùs gratos ſe immiſcet, fotrix paſsim in communi, fautrix ſingulis in particulari, mediatrix inter omnes, inde arbitra, mox pars, prompta ſemper in turbido piſcari. Id noſtra ſenſit ſuperiori ſeculo jam Cermania, cùm Henricus, illius nominis ſecundus, Rex Galliarum, partes proteſtantium aſſumpſit, hâc occaſione Metas, Tullum, & Verodunum, Imperio ſubducens, qui Turnonio deinde Cardinali, juxta Schomburgicas trãſactiones,

&

&conventionum religionẽ, ut redderet ſuadenti, *Rationes ſtatûs cum Breviario ipſius haud convenire*, abſq; ſcrupulo reſpondit. Senſit & noſtro ſæculo, cùm Ludovicus XIII. deceſſor hujus Galliarum Regis, partes Proteſtantium ſimiliter aſſumẽs, publicè & ſolemniter Francofurti, Ulmę, Heilbronnæ, alibi, *ſe præter Confœderatorum libertatîs conſervatæ gloriam, in Germania nil quæſiturum*, & juravit, & jurejurando, non uno etiam, confirmavit; quam & ipſius mentem integram Philipsburgum & Alſatia ad Rhenum, & Briſacum etiam trans Rhenum, luculentiſſimè teſtantur; opportunæ illæ nimirum ſpeculæ, è quibus jam commodiùs litigantium Noſtrorũ Principum emolumentis & concordiæ integerrima

illa

illa Gallia, etiam, ſi neceſſe fuerit, ſtructis pontibus, juſtiſque exercitibus traductis, ut proſpiciat ſe promptiſsimam profitetur. Senſêre quoque mediatricis hujus Galliæ candorem Moguntinus & Palatinus Electores; quem eundem valde vereor ne ad extremum Archiepiſcopus Elector Colonienſis, & ipſa Colonia Agrippinenſis, ſẽtiant; quamvis nodum illum Gordium non niſi plurium Monarcharum Rerúmque publicarum ferro tentandum iudicem.

Jam corruptelis (artium Gallicarum tertia) quî & quomodo graſſetur Gallia, multis, ut crediderim, aliquando voluminibus Polonia vulgabit; quam iiſdem ex libera verè famulam, ex electivâ hæreditariam, & è Sclavonica ferè Gallicam

licam feciſſet, nî fuiſſet, qui ſtructam Gallicæ Reginæ machinam ſingulari felicitate (ut aliquo ſeorſim ſcripto, ſi vita ſuppetat, demonſtrabo) in rẽ Cæſaris, & Imperii, diſſolviſſet. Aliàs, procul dubio, audaciſſima corruptrix Gallia, voti compos, hac eadem ſua arte Magnum Moſcorum Ducem, Sulthanum Turcicum, Scythicùmque Chamum ſuos ad conceptus diſpoſuiſſet, iisque conniventibus, ex Oriẽte & Occidẽte, Viſtulâ Rhænòque, illinc Sileſiam, Moraviã, Hungariam, hinc Sueviam, Franconiam, Bohemiam, illius ſuísque Populis ſimul inũdâſſet, & fortaſſis Romanorum ac Germanorum Regem Ludovicum ſuum declarâſſet. Sed Polonia meliùs edocta, multis Florenorum millioni-

bus

bus ſapientior, è religioſo Archangeli ſui Michaëlis voto, periculoſiſſimum hoc dilemma ſolvit, hujùsque artis liberaliſſimæ Magiſtræ, pro argumentatiõe iſtâ aureâ gratias ingratas reddidit, certa difficillimam, totâ Germaniâ interjectâ, repetitionem fore. Faterentùrne& hujus exactiſſimam eruditæ Galliæ profeſſionem munitiſſimæ illæ Urbes, Tornacum, Duacum, Cortracum, Inſulæ, periodo non trium menſium ſubactæ? Harum certè, ſingulas, deſideratis legionibus inſtructas, unius & totius belli Gallici apparatus frangere potuiſſe, vel debuiſſe, architectonicæ militaris peritiſſimi divulgant. Quàm autem, munitis urbibus in acquirendis, ſuo ærario profuſa Gallia non parcat,

Duni-

Duinkercka docet, palàm quatuor millionibus florenorum empta. Scient porrò, profectò ſcient variorum Principum Miniſtri, auro Gallico ſeducti, quantum annuæ ejuſdẽ corruptioni debeant, quorum Domini, ipſis integris,

Ærati poſtes, ferrea turris erant.
Sed poſtquàm ſapiens in munera
venit adulter,
Præbuit Aula ſinus, & dare juſſa
dedit.

Vulgat (quartò) imò jactat Gallia, continuum generis humani componendi ſtudium: *libertas* nempe *& ſpecioſa nomina*, Pacis ſcilicet & Concordiæ, *prætexuntur; nec quiſquam alienũ ſervitium, aut dominationem ſibi, concupivit, qui non eadem iſta vocabula uſurparet.* Uſurpavit ſanè jam olim Gallia quando Bur-

Tacitus lib. 4. Hiſtor.

gundiæ

gundiæ Ducatum iisdem callidissimè circumvenit: quàm verò novissimè hoc sacrosancto Pacis titulo Reginæ Catholicæ, toti Mantuæ Carpetanorum, ac synceritati Belgicæ imposuerit, ille velut adamantinus, ac ratione ullâ frangi nescius, *æquitatis & veritatis* læsæ Vindex *Clypeus* luculentissimè probavit; cui & excellentissimorum totius Galliæ cerebrorum acumina, jussu quoque Regio animata, hactenus non suffecêre. Ore sanè, ore Galliam tum concordiam, corde bellum calidissimè & callidissimè fovisse, eventus docuit, quò videlicet Belgas candidos, suavissimo pacis nomine deceptos, prout fecit, opprimeret incautos.

Hac eadem ferè methodo fidelissimos Regi suo Burgundio.

diones , impenetrabiles ſuis corruptionibus cùm adverteret , mille artificiis & technis Vaferrimè aggreſſa, vanâ Neutralitatis oſtentatione , varios per circuitus , & adornatas ad ſpeciem propoſitiones, diutiſſimè circumduxit , & eorundem ablegatis primò Lugdunum, mox in Helvetiam, deinde Divionem accerſitis , hoc falſo eos lenocinio à propriæ defenſionis curâ , faciliùs ut opprimeret, ſeduxit. Hanc verò , & non aliam religioſæ Galliæ fuiſſe mentem , ipſius Condæi Principis ad Ludovicum Regem & Louvoyum litteræ , unà cum reſponſoriis in vulgum emanatæ , docent ; è quibus etiam manifeſtè liquet hoſce omnes in ſpeciem tractatus , non duntaxat ad faciendum Burgundis fucum tum

tetendiſſe, ſed & illos ipſos, quos ad hanc fabulam exhibendam Gallia deſtinaverat, arcanis mandatis inſtructiſſimos fuiſſe, ut hac ſub larva, libertate hoſpitii indignè abutentes, loca Burgundiæ munitiſsima penitiùs inveſtigarent ac luſtrarent, Regis Catholici Vaſallos futilibus commentis exanimarent, & meditatam invaſionem omnia diſponerent ac præpararent. Et hoc quidem Galliæ tunc ex voto ceſsit: fraus & dolus enim evicêre, quod vis nulla extorquere potuiſſet; ita ut brumâ mediâ exiguis feſsíſque copiis, pauculorum dierum ſpatio Provinciam ſubjugârit, cujus anteà vel membrum unicum, Dola illa inclyta, vires Galliæ unitas æſtate integrâ fatigaverat, imò fregerat invicta.

Quin-

Quintam eſſentiam Gallicarum artium quæſitis è prætextibus, noviſque indies & ubique, ad conciliandam Martis & Bellonæ gratiam, rixarũ occaſionibus extrahemus. Sic pauculos ante annos, ob ſui & Hiſpanici Legati fortuitum rhedarum in Britannia Londini; ſic Romæ in Italia, ob Ducis Criquy, & Conſortis ejus, pediſſequorum cum Corſis tumultuarium concurſum, tantùm non ad arma, & ad arma, ob cauſas frivolas, cum Duce Carolo Lotharingo ventum, quem Provinciis ſuis exuit, occaſione præſidii ejuſdem Bitſio & Homburgo quoque imminens. Et quid etiamnum Gallia, ratione decem urbium Auguſtalium, in Alſatia non molitur? Tam illæ ſub Imperatore & Imperio

immediatæ ſunt, quàm Landt-graviatus Alſatiæ ipſusmet fuit. Sed nimirum Landgravii earundem fuêre advocati; fateor, ob vicinam Galliam. At quas nunc advocatiæ ſuæ rationes Gallia allegabit? an urbium quoque Imperialium adverſùs Imperium protectionem quæret? Imò quærit controverſias, quòd earum libertati inſidietur. Archiduces, ut Landtgravii, earundem Domini non fuêre, & plus juris in alium transferre non potuêre, quàm ipſimet habuerunt. Sed, ut prævideo, ſemper Gallia laboravit, ne & ibi, ſicut alibi, in æternum ipſi

Compagibus arctis
Claudantur belli portæ.

Quam, deniq; ob rationem, aut quas, dicam meliùs, ob ra-

tio-

tiones, doloſam Galliam ſuos exercitus hinc inde circumagere exiſtimemus ? an ob ſolam virium ſuarum oſtentationem, & inanem potentiæ ſuæ gloriam? Imò verò ad formidinem vicinis incutiẽdam, ut amicitiam & protectionem illius quærant ; vel ut eos ſuarum partium vexationibus & minis faciat ; vel , ſi ad arma comparare ſe voluerint, ſumptibus eos maceret, & exhauriat ; vel ut per haſce exercituum ſuorum tralationes irritas, & vanas, armorum vicinitati aſſuefaciat , ne ulteriùs eas timeant,& paveſcant, quò facilùs deinde incauti poſſint obrui & ſubjugari. Hos in fines , & non alios , rugientis leonis inſtar , quærens quem devoret, perpetuò armata circuit , iiſque duntaxat artibus,

ut dixi, conceptam ſuam ad Monarchiã fallaciſſima graſſatur, totius Europæ reliquæ ad formidinem, quæ ad hoc ſpectrum undique & continuò paveſcit, nunquam ſui, nunquam pacis, nunquam tractatuum fœderúmque, nunquam amicorum etiam ſecura, pace fruens bello diriore; ſi enim ſe armaverit, apparatu, ut dixi, Martio ſe exhauriet, ſi non armaverit, obnoxia invaſioni.

Hîc jam è præfatis omnibus illa quæſtio decumana ſurgit, unde Galliæ, olim (quemadmodum ſuprà tetigi) tam impotentis, vixque triennali bello ſufficientis, ſtupendæ illæ vires, ut exercitus illa ſuos, aliis, conciliatâ pace, ob ærarium exhauſtum, legiones ſuas exautorantibus, ſola reti-

ne-

nere, continuò augere, bella alia, poſt vicennalia, moliri, tótque ſimul ad actiones & factiones, vias aperire, ipsíſque noſtris in viſceribus tot ſectatores, tot adminicula ſuarum intentionum reperire poſſit: Nos autem noſtra in Germania quodammodo jaceamus, ipsíque vileſcamus; quin etiam ex parte (quæ nonnullorum Principum noſtrorum eſt inſania, imò eſt infamia) non abſque hujus ſeculi, poſteritatis, ac Nationis noſtræ ſcandalo, ſerviamus? Memini in exordio me numerâſſe ſexaginta florenorũ milliones; horum potentiæ cedunt omnia; quorum & fulgori hodie (prô dolor!) Mundus, ſed imũndus, Reipubl. noſtræ ſalus, emolumentum, ornamentum, Patriæ communis charitas, & ipſius

adeò libertatis (noſtris quæ majoribus , haud immeritò , ipsâ quoque vitâ potior habebatur) amor miſerrimè & teterrimè ſuccumbit. Sic ut nimiùm videantur Cacopolitici illi noſtri impiiſſimum carmen illud ſtuduiſſe:

O cives , cives , quærenda pecunia primùm ,
Virtus poſt nummos.

Quid autem ille ſapiens Romanus ? *Vir bonus* , inquit , *quod honeſtè ſe facturum putaverit , faciet , etiamſi laborioſum erit: faciet , etiãſi damnoſum erit: faciet , etiamſi periculoſum erit. Rurſus quod turpe erit , non faciet , etiamſi pecuniam affert , etiamſi voluptatem , etiamſi potentiam. Ab honeſto nulla re deterrebitur , ad turpia nulla ſpe invitabitur.*

Seneca epiſt. 76.

Videmus ergo , Imperii Romani Ordines , videmus , horum omnium ſcaturiginem malo-

malorum potentiam eſſe Gallicam; potentiæ verò Gallicæ ſolam, unicam, tot proventuum annuorum milliones cauſam eſſe. Unde autem, unde illæ, unde Galliæ, unde Regi? Quæſtio altera profectò miniimè admiranda, cùm Regnum illud innumeris aliunde comparandis egeat; auri verò, argenti, cupri, plumbi, ſulphuris, mercuriique, mineralibus nobiliſſimis omnino careat. Quid ergo? quid ſi dicam ipſas Gallias & Gallos, ex parte, noſtrâ cœcitate acutiſſimè videre, ignaviâ ex parte noſtra etiam vigere, ſtultitiâ noſtrâ ſapere, luxu noſtro ſuperbire, diteſcere ære noſtro, noſtris viribus firmari, imò & in nos armari? Paradoxa nobis adferes, exclamabitis, Waſſenberg! ſiccine? Para-

doxa? immò, repeto, & affirmo Vobis, idolum illud, cuius ipsiusmet facie terremur, cultúque impiissimo perimus, Hebræorum instar in deserto, Thesauris nostris nos contiare, extra omne periculum futuri, si & cum iisdem desieri-mus insanire. Quod ut meliùs intelligatis, Aurifodinam, quam promisi, Gallicam, Vobis Ordinibus nunc reserabo, pòst eandem iterum, Vobis, si placuerit, obstructurus.

Summus Jupiter, sueto seculorum ordine adhuc fluente, novâ aliquâ humanum genus sibi gratiâ devincturus, omnium è consilio Deorum, suis alis Mercurium armavit, ut in Orbem velox, populorum commodis intentus, longè dissita aliquando, ingeniosâ quâdam methodo, sociaret:

quod

quod promptiſſimus ille Nuntius cœlorum, ac ſuperorum Agens, inſtructâ velis quorundam aſſerum compage, Æolo & Neptuno ſuffragantibus, dexterrimè & celerrimè exequutus, Orientem Occidenti, Auſtrum Aquiloni, proficuâ mutuorum negotiorum conſuetudine conjunxit, ut, quæ ſingularum Gentium ac Regionum fuerant, fierent omnium; hinc à Mercurio mercimonia, hinc merces, hinc mercatores. Præcipuum tamen, reliquis præ Mundi partibus, emolumentum, è benigniſſimo nutu Cælitum, Europæ favens, per Venetias Italiæ, per Hiſpalim Iberiæ, per Ulyſſiponam Luſitaniæ; Britanniæ per Londinum, Hyberniæ per Dublinum, & Germaniæ utrique, nec non Sar-

matiæ, per Antuerpiã, Amſte-
læ, Rottæq; Damos, per Ham-
burgum, Lubekam; Montem
Regium, & Dantiſcum, Tel-
lure Deâ, almâ Cerere, Pluto-
ne, ſive Dite (unde & divitiæ)
largè concurrentibus, lucu-
lentiſſimè proſpexiſſet, multa
multis, jovem iterum anhe-
lans, *Induſtriæ* commendavit.
Hæc operoſa ſemper, otioſa
nunquam, miſerta Galliæ, na-
tivo auro & argento non or-
natæ, ac non niſi vitiatâ quâ-
dam Patris Liberi, Tethidíſ-
que gratiâ proviſæ, in ea reſi-
dere, omnémque ſuum appa-
ratum explicare, deſideratam
quoque ad illius felicitatem
ac potentiam, concepit, in qua
tamen cùm & ingenio, & ju-
dicio, ad ſuam mentem, non
ſat proficeret, ſorore *Solertiâ*
ſuggerente, ſuum etiam ad fa-
mu-

mulitium *Inſaniam* adſcivit, cujus veneficio omnes alias Europæ Gentes ſui ad amorem intoxicaret; quæ & confeſtim, largiſque paſſibus, juſſu Dominæ progreſſa, Italiam nonnihil; Hiſpaniam, Britanniam, Daniam, Scandinaviámque magis; at Germanias noſtras maximè infecit, & earum è motis mentibus auditâ nunquam *Aurifodinâ* Galliam beavit. En! Imperii Romani Ordines, en in fabula veritatem; quam ego Vobis per enumerationem partium, luce meridianâ clariùs demonſtrabo.

Dixi nunc, & ſupra dixi, nativo auro & argento (quorum, & aliorum metallorum venis, Hungaria, Bohemia, & Germania noſtra ſcatet) Galliam minimè ornatam, quod tam eſt verum, ut id & eſſe ve-

rum

rum ne ipſa quidem Gallia inficiari auſit. Dixi illam non niſi inficetâ quâdam Patris Liberi Thetidiſque gratiâ proviſam; quod ipſum & experientia confirmat. Inprimis enim vina Gallica, Patris Liberi nominibus à me expreſſa, ſi vitium Italicarum, Hiſpanicarum, & noſtrarum etiam Germanicarum genimini generoſiſſimo, & nobiliſſimo comparentur, eſſe leviſſima & viliſſima, in confeſſo eſt. A nativitate ſua unius ætatem anni omnia vix ferunt; quædam etiam Auguſtum ante menſem ejuſdem anni quo crevêre corrumpuntur. Hinc vel inſipida, vel recentia bibi debent, utroque uſu noxia ſanitati. Quantò autem, quantò non Hungarica, Auſtriaca, Tyrolenſia, Franconica, Rhenana,

Mo-

Moſellana, atq; Rhetica noſtra Vina (quibus ſolis Auguſtus Imperator olim, cùm & Italiam, & Hiſpaniam, Cretam, Græciam, utramque Mauritaniam, Ægyptu, & tam opimas Africæ, Aſiæ, Europæ, Mundique partes poſſideret, uti voluit) illis Gallicis, Andegavenſibus, Tholoſanis, Aquitanicis, & quocunque tandem nomine vocentur, præſtantiora! Horum pleraque ab ærate & vetuſtate æſtimationē, dignitatem, pretiúmque ſumunt.

Jam & Tethidis, ſeu maris gratiâ, nónne Gallia quoque eſt vitiata? E prole quam illi peperit, & parit indies, ſale patet. Fœdus ille, nigredine deformis, corroſivus, craſſus, & Hiſpanico, Luſitanico, Burgundico, Bavarico, Auſtriaco, Polonico, & Saxonico, nullâ

nullâ ratione comparandus. Cùm redigitur ad decocturam ferè totus, ob nimiam hamiditatem, in vapores abit, sic ut, si illius, & Hispanici, vasa æqualia, eandem simul ad decocturam redigantur, tertiâ parte minùs Hispanicus decrescat; contrà, si marinâ, requisitæ quantitatis, aquâ additâ, recoquatur, Hispanico ferè triplo amplius quàm Gallico accrescat, utriusque decoctoris, vel recoctoris, inæquali cum dispendio, vel compendio, cùm unius, præ alterius (ponamus centum florenorum salis) decoctioni, triginta facilè decedant; & unius quoque præ alterius, recoctioni plures etiam accedant. Manifestum quoque, salem Hispanicum, Lusitanicum, Burgundicum, Bavaricum, Austriacum, Poloni-

nicum, & Saxonicum, candidiſſimi coloris, & eximiæ virtutis, longè Gallico, ad omnem uſum & ſanitatem, opportuniorem eſſe.

Cur itaque, reponetis, & Vina Gallica, & Salem Gallicum, totis, crebriſque claſſibus Britannia, Belgium, Provinciæ inferioris Germaniæ confœderatæ, & verſùs Aquilonem his Vicinæ; tum & Dania, Suecia, Livonia, Pruſſia, tam operosè quærunt, tam copiosè bibunt & conſumunt? Dixi, Induſtriam, malè proviſæ Galliæ commiſeratione tactam, in ea ſuum quoque ad famulitium, Solertiâ ſorore ſuggerente, Inſaniam adſciviſſe, quæ regiones, regna, gentes, intoxicârit, quod hoc infectarum mentium è ſolæciſmo manifeſtè patet, cùm de

ſale

ſale viniſque longè meliori-
bus ſibi proſpicere aliundè
poſſint. Libetne ſcire quan-
tũ Aquilonaris unica hæc de-
mentia Regno Galliæ impor-
tet? ſcio, quâ eſtis curioſitate,
libet. Secundùm juſtos pru-
dentiſsimorum virorum cal-
culos, me coram rectè poſi-
tos, è ſolo ſale ſuo Gallia mil-
liones florenorum propè de-
cem; è Vino verò ultra quin-
decim annis ſingulis emungit,
quarum duas ferè tertias, ni-
mirum partes, unitarum Pro-
vinciarum mercatores in eam
hactenus intulerunt. Quid ob-
ſtupeſcitis ad hanc periodum
Ablegati? Non eſſe abſonum
id veritati, liquor è Vino di-
ſtillatus, quem crematum, vel
aduſtum vocant, perſpicuè
demonſtrabit, cujus diſtractio
per Germaniam inferiorem
Galliæ

Galliæ ſupra milliones florenorum quinque annuê importat. Ex quo facilè vir prudens colliget, quantùm ſolâ hâc è ſtultitiâ, quæ infinita millia ſtultorum parit, Regno Galliæ accedat, ſi & Britanniam, & Hyberniam, Daniam, Sueciam, Livoniam, Brouſſiam, totùmque Septentrionem cogitet, qui eodem quoque diſtillato liquore dementiam cõmunem fovet. Quantæ autem non cæcitatis, tanto auri argentique cum diſpendio per maria, per Oceanum, ventis, velis, claſſibus ad hoc vagari, quod domi facilè, domi extra, hi, ſi uvæ deſint, è frumento poteſt; Nullibi ſanè meliùs, quàm hoc modo ſuâ in Sarmatiâ diſtillatum Poloni bibunt. Sed nimirum Inſania, ut dixi, Gentes Aquilonis ſic infecit,

ut

ut ære ſuo, non neceſſario, potentiam Galliæ, ſic felici, per ſe aliàs infelici, conciliarent, quæ diſtillato hoc è liquore, ejuſdémque Patre Bacho, ac deformi ſale, fœtu Tethidis, millionibus florenorum circiter quadraginta annis ſingulis diteſcit.

Magna hæc fateamini neceſſe eſt, at non minora, imò etiam majora, quæ Induſtria, eandem per Inſaniam, ſuam ſcilicet emiſſariam, emolumenta Galliæ ſub confert. Cõcepit illa, immò, eâdem Solertiâ ſorore ſuâ obſtetricante, peperit, & ſubdolè deinceps infinitis novitatibus ad ſtuporem uſque adornavit, cujusvis ad libidinem & proſtituit Dominam *La Mode*, meretricem illam inſatiabilem, artes omnes ac blanditias ad

ſe-

ſeductionem, corruptionem, & enervationem virium humani generis exerentem, & gangrenæ inſtar omnia quæ tangit, ſui unius ad alimentum & emolumentum, exedentem. Hujus enim fatuo amori, non myrrhæ, neque thuris, ſed auri puriſſimi oblationibus Myſtæ inſipientiſſimi litamus, ejuſdem vanitatum quisquiliarum, & crepundiorum antidoris, uſque ad viliſſimas filii prodigi ferè ſiliquas infelices.

Fons & origo hujus præpoſteræ devotionis ab inveterata, ſemper â prudentioribus damnata, nunquam tamen abrogata conſuetudine illa fluxit, juventutem in Galliam mittendi, quæ ad idoli illius pedes non modò quicquid habuit & habet generoſæ indolis, ingeniti candoris, gravitatis,

tatis, probitatis, frugalitatis, verecundiæ, & conſtantiæ, dudum poſuit, & ponit, ſed & quem ibi vidit vidétque luxum, verſutiam, levitatem, aſſumpſit hactenus, & aſſumit, jam planè Gallica, non linguâ tantum, ſed & moribus, & illo ridiculo nonnunquam & mimico veſtitu. Hæc in Britanniam, Daniam, Sueciam, Livoniam, Poloniam, & Germaniam præſertim noſtram, uti Galliæ viciniorem, redux, peregrinis vitiis imbuta, uſque adeò (prô dolor!) contagione nocuit, & nocet, ut communem noſtram Patriam, atque ſæculum jam infecerit, & pro barbarico ferè habeatur quicquid Gallicum non ſapit. Ita moderatiores etiam in eoſdem ſenſim mores vel inviti abrêre, nec eoſdem Stoicâ

quâ-

quâdam auſteritate averſantes contemptui& ludibrio haberentur, minùſque decens videretur ſeculi vitio non parêre. Vix ſapiunt nobis cibi niſi à coquo Gallico præparentur, aut certè in morem Gallicum condiantur;& vix uxoribus mariti, & maritis uxores placent, niſi ad modum Gallicum ornentur; unde & in aulis noſtrorum Principum, ad ſequioris ſexûs diſcriminandum, & ædificandum caput, tot Gallicæ comptrices. Quid autem inde? Subverſio paulatim familiarum, paupertas regionum, diſſolutio militaris diſciplinæ,& corruptelarum, quibus hodie Imperium Romanum patet, imò ſcatet, commercium infame; ſic ut auſim dicere in Germania Germani ferè nihil nunc

ſu.

ſupereſſe. Et novit ingenioſa Gallia noſtræ dementiæ callidiſſimè & calidiſſimè ſuffragari, nova indies inventa & fomenta ſui luxûs, præſertim veſtium & vaniſſimi ornatûs, terrâ, mari, curribus & velis, largè ſuppeditando; quæ ſi penitius inſpiciamus, nugæ nugarum ſunt, quibus tamen omnem ferè Monetæ Deæ gratiam, reliqui totius orbis cum exitio, ad ſe trahit. Scitiſne enim, ſcitiſne Ordines Imperii Romani, quantum & inania illa peregrini luxûs delectamenta, (dicam meliùs deliramenta) è Germaniæ noſtræ & Europæ venis aurei cruoris extrahant? Ultra quadraginta Gallicorum florenorum milliones. Quid obſtupeſcitis & ad hanc periodum Ablegati? Ipſius Mercurii Sacramen-

mentis & myſteriis initiati, id non duntaxat manifeſtè docent, ſed & authenticæ ipſæmet Gallicarum rationum tabulæ, à me viſæ, hoc diſertiſſimè confirmant. Ut non tantùm hoc me dicere, ſed&leonem ex ungue cognoſcatis,ad hujus opuſculi mei calcem ſubjicio libellum, ſermone Gallico conceptum, quem conſiliis collatis Pariſienſes, Lugdunenſes, Rothomagenſes, aliique præcipui totius Regni mercatores, ante annos aliquot, cùm Rex Galliæ Hollandicis de *manufacturis* (ut vulgari verbo utar) excludendis deliberaret, humillimè obtulerunt, exponentes, quantum inde damni in Coronam Gallicam, ſi viciſſim Batavi, hâc prohibitione irritati, merces Gallicas eliminarent, redun-

datum essem. Hunc legite Ablegati, & videte quàm exactè, & ad oculum, millionum plurium jacturam, authentico hoc suo documento mercatores Gallici demonstrârint; ad quorum calculum tunc Britannia, Dania, Suecia, Livonia, Polonia, & tot Orbis regiones aliæ non venerunt.

Hisce itaque à me relatis, Vobisque ab Ordinibus rectè ponderatis, tam tardi judicii nemo erit, qui non, si è Gallicis hisce mercibus ultra quadraginta, & è sale, vino, & cremato, quadraginta alios millionès videat, statim octoginta numeret & conjungat, quos annis singulis utrâque nostrâ, superiori scilicet & inferiori è Germania & Europæ reliquæ regionibus, Regnum Galliæ emungit, cùm iis ex

mer-

mercimoniis quæ in eam importantur, vix milliones decem ab illa redeant; ſic ut Gallia annuè ſeptuaginta florenorum millionibus diteſcat. Et hæc eſt, Imperii Romani Ordines, *Aurifodina* illa *Gallica*, à me Vobis jam *reſerata*, operosa ab Induſtria, Solertia ſororore, ut dixi, ſuffragante, emiſſariam per Inſaniam, extra Galliam Galliæ procurata, apud Aquilonem & Nos quæſita ac inventa, quâ, (fateamur verum) cæci Galliam beamus, quę illum deinde belli nervum ab ipſismet Nobis ſuppeditatum, ſuum in arcum cogit, atque ſpicula in nos retorquet. Eam potentiam, quam timemus, ipſimet Galliæ conciliamus; qui & incendio huic maximo, ulteriùs indies graſſanti, non modò fomites, ligna

pabulum, ſuggerimus, ſed copiosè oleum & affundimus; immò aggeres tormentarios noſtris velut manibus Gallis ſtruimus, è quibus, & noſtris velut machinis, libertatem illi noſtram inſolentiſſimi oppugnent, lacerent, evertant. Arietes è noſtris trabibus, ad ſubruenda noſtra mænia, ſtulti Galliæ formamus, quæ ut cæcitatẽ noſtram videt, haud immeritò eandem ridet, inſipientiâ noſtrâ felix, dives, arrogans, & generi humano, maximè Hiſpano & Germano, gravis. Ut enim ille temporum ac tempeſtatum diſpenſator. Sol nimirum, earundem terrarum ex humoribus ad ſe tractis, in eaſdem grandines, fulmina, ac tonitrua horrenda fabricat; ita Gallia variarum gentium è ſubſtantia, in eaſ-

dem

dem formidabiles illos ſuos exercitus, claſſéſque format. Et Rex Galliæ cõmerciorum ipſe Regni ſui Dominus, & in pecunia cumulanda totus, magis nihil etiamnũ curat, quàm ut major indies in Calliam ſuam confluat, rara exeat, ſuarum mercium ubique diſtrahendarum, ac peregrinarum, quantùm poſſibile, proſcribendarum æquè ſedulus, hâc ſolertiâ, tractu temporis, pecuniam Europæ omnem ad ſe derivaturus, Mundóque leges, inexhauribili hoc nervo belli, præſcripturus.

Quid ergo, reponetis quid ergo Waſſenbergi? jam ego, Imperii Romani Ordines eandem hanc, quam reſeravi, Aurifodinam Gallicam Vobis obſtruam, ipſámq; Galliam, ſi volueritis, moderatiorem red-

dam. Sit equus quomodocunque etiam generoſus, petulans, indomitus, ſtare loco neſcius, & impatiens frænorũ, ſi occurrat qui arte tractet, qui avenam illi prudentiſſimè diſponat, ad Alexandri hujus dexteram palatim hic Bucephalus manſueſcet: Sublatis enim cauſis tollitur effectus, & ſublatis mediis ruunt fines. Sed, ut videor audire, jam interrumpitis Ablegati, exclamantes, intelligimus quò tendas, percipimus quid velis: at quis remediis tam periculoſis, &, ut nunc ſunt conjunctura rerum, intempeſtivis, irritare centum millium virorum exercitib⁹ armatam Galliam audebit? Quis potentiæ tantæ molem, hiſce vineis in adverſum actis, in ſe concitare, & ab eadem obrui non timebit?

Ad

Ad prępotentes,& hoc audentes, ſeptem mediocrium Provinciarum,ſed unitarum, Ordines, Veſtros oculos, quæſo, convertatis ; qui Reipublicæ ſuæ primis ab incunabulis, palmæ inſtar,adverſus pondera ſurrexêre, & continuò luctantes , ac diſcrimina non averſantes , præſentem ſuam ad magnitudinem emerſerunt. Per maria , per terras, tempeſtates,fluctus,turbines, & hoſtilia elementa ferè omnia, periculorum avidi, emergentia nova indies ad pericula navigârunt,eadémque triumphârunt , cùm nempe omnia periculorum remedia ſua pericula fore prævideren t. Hi , inquam,iidem illi, qui utriuſque Poli diverſa climata , tòtque graduum hinc inde,inEuropa, Aſia,Africa,& America

vicissitudines non horruêre, & Mercurii ipsiusmet omnes à fundamento numeros, apud Antipodas, Periæcos etiam & Antæcos, penitissimè studuêre, absolutissimi harum artium, œconomiæ, & prudentiæ Magistri, rationibus Gallicis inspectis & perspectis, sueta in constantia generosissimi, & generositate sueta constantissimi, Christiani Orbis tranquillandi studio, primi solique hoc opus arduum aggressi, illum gurgitem nostris divitiis saginatum, nec satiatum, obturare; & horrendum hiatum illum, Æthnæ instar flammas identidem, nostra è pinguedine conceptas, evomentem, ne vicinas regiones omnes devoret, obstruere concepêre. Et jam (quod felix, faustum, fortunatúmque) lau-

laudabili exemplo, opera manuum Gallicarum, vinum ipſum, ſalem & crematum, ut mercimonia externa, ſibique non neceſſaria, edictis publicis ſuis à regionibus arcentes, præivêre, & glaciem fregêre, procul dubio deſideratum ad effectum rem integram deducturi, ſi ipſorum conatibus accedamus; noſtriquePrincipes, ſuo quiſque in diſtrictu, voraci huic flammæ, ne medullam ipſam ipſis in viſceribus conſumat, aditus viáſque validiſſimo ſuorum etiam edictorum repagulo occludant: Nos antem, Nos ingentium Imperii Romani decem Circulorum, quod anguſtarum illi duntaxat ſeptem Provinciarum Domini non auſi ſimus?

At non nemo Veſtrum fortè regeret, animoſos illos Ba-

tavorum Ordines, creberri-
mis & diverſis Teloneorum
Gallicorum auctionibus, pro-
hibitione manualium ſuarum
artium, iniquiſſimâ menſurâ
navium, & exactionũ intole-
rabili rigore, juſtiſſimè com-
motos, ſimiles ad auſus pro-
ceſſiſſe: qua fronte verò, quo
æquitatis titulo excludemus
cum Gallia Nos commercium,
quod jure Gentium, paciſque
legibus eſſe liberum oportet?
An arcebimus & Nos Gallos,
ut innuere, imò adſtruere vi-
deris, ab humana ſocietate?
An amicum Regem, pace ad-
huc vigente, hoſtis ferè loco
jam habebimus, & ejuſdem in
nos arma provocabimus, nul-
lâ injuriâ laceſſiti? Inducias,
obſecro, inducias Ablegati.
Scio, probè ſcio, ipſomet e-
tiam belli tempore, manife-
ſtos

ſtos etiam ac acerrimos inter hoſtes commercia in totum non ceſſare, quorum neceſſitas plerumque exigit, ut & diſcordes animi, mutuámque ad perniciem intenti, in ejuſdem ſaltem aliquam utilitatem mutuam concordent, cùm & ſæviſsimus Bellonæ furor hunc humanæ ſocietatis nexum penitus diſſolvere non poſſit. Sit Gallis liberum apud nos commercium, rata maneant pacis pacta, illibata Gentium ſint jura, ſanctę amicitiæ & vicinitatis leges, ita tamen, potiſsimùm ut nobis, ſecundùm unitarum Provinciarum Ordines, charitatis illud ſit præceptum, quo jubemur ſtudere potiùs utilitati noſtræ quàm alienæ. Non ſuadebo commercium Gallicum extingui, ſed, ne nobis ſit exi-

tio, reſtringi: nec erit integrum ipſimet Galliæ inſimulare nos injuſtitiæ, ſi idem, quod agit Gallia, agamus omnes. Illa, ne mutare quicquam ab aliis cogatur, omnia ad uſum & delicias neceſſaria marte proprio fabricare ſatagit, tam conſervandarum pecuniarum ſuarum cauta, quàm provocandarum exterarum ſolers. Illa operarios, & arte aliqua manuali excellentes, ipſas ad puellas uſque vicinis è Provincijs, alijsque regnis, ad ſe vocavit & invitavit, ne quid eorum, quibus indigebat deeſſet ſibi, imò & adeſſet tantùm, ut & alijs mille parergis additis, viciſſim ſuppeditare poſſet; ac deinde merces exteras earundem Gentium, è quibus Operarios & operarias evocaverat, & invitaverat,

pro-

proſcripſit. Nec iniuriam hac ratione ſaltem, cuiquam infert, cùm optimum & præclarum Politices ſit principium mercimonia, vicinorum etiam, prohibere illa, quibus abundamus; ita Principibus uſitatum, ut & in Provinciis quibusdam ſibi propriis religioſum velint; quemadmodum Imperator vina Hungarica, aliaque multa ex eodem Regno promanantia, interdicto ſuâ Auſtriâ excluſit, quò Auſtriaci & conſumere, & diſtrahere ſua poſſint. Et commerciorum ratio nulla poſtulat ut injurij nobis ipſis ſimus, aliorum commodis ſuffragantes.

Sunt præterea, ſunt multa, quæ non ad uſum & commoditatem vitæ, ſed molles ad delicias, voluptatem & faſtum

ſer-

ſerviunt, bene ordinata à Republica ſemper proſcribenda, utpote luxûs, & vitiorum omnium incentiva, cujusmodi ſunt ea, quæ nobis adfert Domina *La Mode*, quam noſtris à ditionibus arceri non modò æquum & irreprehenſibile, ſed neceſſarium inprimis, ſi noſtrâ Germani ſalvam Rempublicam velimus. Audiamus L. Annæum Florum de Romanis: *Syria prima nos victa* (dicam ego, Gallia prima nos viſa) *corrupit*. Et, pauculis interjectis, *illæ opes*, inquit, *atque divitiæ afflixêre ſæculi mores; merſamq; vitiis ſuis, quaſi ſentinâ, Rempublicam peſſumdedêre*. Quare? pergat Florus: *unde enim populus Romanus à Tribunis agros & cibaria flagitaret, niſi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & ſecunda, &*

Lib. 3. cap. 12. in anacephalæoſi.

illa

illa tertia Appulejana ſeditio. Vnde regnaret judiciariis legibus divulſus à Senatu eques, niſi ex avaritia, ut vectigalia Reipublicæ, atque ipſa judicia in quæſtu haberentur? Hinc rurſus & promiſſa civitas Latio, & per hoc arma ſociorum. En nos Germanos in Romanis per luxum ad famem, avaritiam, quæſtum, ſeditiones & arma mutua devolutis. Et quid Germaniam modò noſtram, noſtrosque Principes Germanos magis inficit, ſeducit, & exhaurit, quàm peregrinus idem ille luxus? Per hunc Gallia non duntaxat noſtrum in exitium diteſcit, ſed & Principum Germanorum Aulas, ærario exhauſto, obnoxias corruptionibus ſuis invenit; quarum Miniſtri certè, ſi Principes non ipſi, hoc ſtolidæ imitationis illicio faſtuque

capti, plùs expendunt, quàm proprii legitimique proventus ferunt, qui ut ſemel initam proſequi viam valeant, muneribus deinde Gallicis libertatem ſuam mancipant, communis Patriæ in perniciem luxuriantes. Quàm procul autem id à moribus antiquis! *Germanis*, ait Seneca, *quid animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidiùs? quibus innaſcuntur, innutriunturque: quorum unica illis cura eſt in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam?* Et hâc periodo noſtræ gloriæ præmiſsâ interjectis pauculis exclamat; *Agedum iſtis corporibus, illis animis,* DELICIAS, LUXUM, OPES IGNORANTIBUS, *da rationem, da diſciplinam, ut nihil ampliùs dicam, neceſſe erit nobis certè mores Romanos repetere.* Quare? quia

Lib. 1. de ira.

Mori-

quàm, tametsi sub Nerone summo in gradu positam, ut ab Euphrate Oceanum ad Atlanticum à Rheno ad Garamantas imperantem, ruituram tamen, & nostram quidem per Germaniam, delitias, luxum, opes, tunc ignorantem Seneca timebat, quia modestiam, parsimoniam, temperantiam, frugalitatem, olim sub Fabricijs & Tuberonibus vigentem, Romani deseruerant, & antiquos illos mores, visâ Syriâ, cum Asiaticis mutârant. An tantæ sapientiæ cum Philosopho argumentum nobis simile jam non formandum, idemque formidandum, qui & ipsi, visâ Gallia, priscis illis nostris à Germanis sub Arioviſto, Arminio, Civile, de-

degenerantes ad Dominæ *La Mode* famulitium & cultum ferè transivimus universi, frugalitatis &disciplinæ veterum obliti? Macte, Imperii Romani Ordines,

Moribus antiquis stet res
Germana virisque;

illique Dominæ *La Mode* sint exilia, sit Bastilia; ac peregrinas illas ineptias pragmaticâ sanctione toto Imperio proscribamus. Libertas nostra ulteriùs non ferat in victu, vestitu & ornatu, leges nobis à Gallia præscribi; & vivendi rationem habitúmque nostro genio convenientem, scilicet decentem, gravem, modestum & honestum resumamus. Sic Germaniæ nostræ sua facies, sic Imperio suum decus, sic Provincijs suæ vires, sic ærariis suus fulgor, sic Principibus

bus ſua potentia, ſic Miniſtris ſua integritas, ſic familijs ſuus vigor, ſic militiæ ſua fides, ſic legionibus ſua diſciplina, ſic exercitibus ſuum robur, Noſtræque Nationi deſiderata proſperitas redibit.

Hâc verò inſaniâ Dominæ *La Mode* ſemel & in æternum profligatâ, & in Galliam relegatâ, Nobis Induſtriam, ſuperbiâ Gallicâ fatigatam, &, niſi fallor, Mercurio diſponente migrare jam paratam conciliemus, ut non modò Brabanticorum & Batavicorum, ſed & Argentinenſium, Ulmenſium, Auguſtanorum, Norimbergenſium, Francofurtenſiũ, Hamburgenſium, & Lipſienſium ingeniorum, viſâ artium ſubtilitate & integritate ſibi placentium, amore dudum captam, & hinc ſequi facilem,

&

& promptam; præsertim cùm & Germaniæ eorum nihil, quorum indiget, deesse sciat. Lanis optimis & pretiosis regionum nostrarum multæ ob infinitos greges ovium abundant; neque mori ad alimenta bombycum desunt, quæ ex Italia atque Turcia ad nos translatæ clima nostrum, ut experientiâ jam didicimus, non abhorrent tam proficuæ nobis hîc ad omnis generis texenda serica, quàm in Gallia futuræ, si Operarij (quod facillimum) advocentur, per quos juventus nostra naturâ docilis exerceatur. Et manualium illarum artium officinis semel introductis, structis & instructis merces exteræ, præsertim magnis vectigalibus ad morem Gallicum, si onerentur, suâpte exulabunt.

bunt. Fiet Germania paulatim quod fuit Gallia, ſuo commercio non ſufficiens duntaxat ſibi, ſed & Indico, è quo hactenus tantundem ferè Galli ipſimet, quàm Hiſpani ſuam illam per ſolertiam fructuum percepêre. Ita pecuniam non modò noſtram retinebimus, ſed augebimus Germani aliunde nihil, quòd honeſtiſſimùm, mendicantes, & externis plurima, quod utiliſſimùm ſuppeditantes.

Et Germania noſtra opportunitate ſitûs longè Galliam antecellit, in meditullio Europæ poſita; cui unicum ad Oceanum, quàm toti Galliæ ubique, frequentiores, commodiores, nobiliores portus, Oſtẽda, Antuerpia, Vliſſinga, Roterodamum, Amſtelædamum, Embda, & (ut de mi-

no-

noribus infinitis taceam) Hamburgum: ad mare Balthicum Lubeca, Wismaria, Rostochium, Stralesunda, Wolgastum, Grypswaldia, Colberga; &, ad mare quoque Hadriaticum, Tergestum. Flumina, præ Gallorum Sequanâ, Rhodano, Ligeri, Garumnâ, unum Oceanum in Germanicum suas undas exonerantia, Scaldis, Mosa, Rhenus, Amisia, Visurgis, Albis; in mare Balthicum decurrens Viadrus, & Danubius in Euxinum. Et hunc postremum, regnatorem amnium Europæ, noster Carolus ille Magnus, emolumentis & ornamentis Germaniæ intentus, unire Rheno constituerat, ut quicquid Tanais, Phasis, Pactolus, Hellespontus, Orientalium, & quicquid Occidens ma-

manualium inventionum habent beneficio junctorum fluviorum, Nationi noſtræ conciliaret, Mercurioque ſedem firmam media in Germania collocaret. Cùm enim Almonius, ſeu Alemannus, in Danubium, & Danubius, ut dixi, in Euxinum; ac Radantia in Mænum, Mænus in Rhenum, Rhenus in Oceanum ſe effundant, & Radantiæ Almoniique fontes trium horarum itinere à ſe invicem vix diſtent, nullique montes, rupes nullæ, fodiendi & jungendi facultatem adimant, prudentiſſimus ille Imperator noſter, tunc Ratisbonæ reſidens, eò movit, illique operi verè Cæſareo, verèque Regio, Autumnum ferè integrum impendit, procul dubio perfecturus, ſi crebri imbres intempe-

peſtivâ foſſam aquâ non implevisſent. Cur autem Vos Imperii Romani Ordines, nunc Ratisbonæ etiam congregati, Illuſtriſſimo & Celſiſſimo cum illo Veſtro omnium gratiarum Præſide Marquardo, Antiſtite Eichſtettenſi, illorum fontium potentiſſimo & potiſſimo vicino, Corolinæ mẽtis deſiderium non reſumitis, foſsâque à ſacratiſſimo Leopoldo noſtro Leopoldinâ Rempublicam non beatis? Non neglexêre, Circaſſios apud montes, ſimilem occaſionem barbari, Scythæ, Tartari; foſsâque Kamuſianâ Tanaim & Volgam, & per Tanaim & Volgam maria, Euxinum Caſpio junxêre.

Et cur Vos, obſecro, Sereniſſimi, Eminentiſſimi, & Celſiſſimi, Electores, Duces,

Prin-

Principes ad Rhenum, Mosel-lam, Mænum, vitiferis illis regionibus, & opportunissimis fluminibus felices, Vestris meliùs emolumentis non intenditis, teloneorum moderamine futuri ditiores; Magna illa vectigalia inferioris Germaniæ ditiones, Vestro à commercio deterruêre, & ineffabili cum Vestro, Vestrorùmque subditorum detrimento, effecêre ut vina Gallica apud eas, totàmque per Britanniam, Daniam, Borussiam, & Aquilonem omnem invaluerint; quarum aliàs terrarum incolæ, Franconica illa Vestra, Mosellana ac Rhenana, ætatem ferentia, & in ipsis quasi vasis ad colorem, odorem, saporem, annis singulis meliorem, matureſcentia, & hinc in remotissimas quoque Indias avehenda, maximè con-

venientia, multò libentiùs quàm Gallicana bibunt. Vestrocertè si ærario, si subditorum Vestrorum commodis, prospectum prudentissimi velitis, nunc nunc vel maximè fronte capillatam occasionem, Vobis velut divinitus oblatam, utraque manu prehendatis suaserim, cùm Unitarum Provinciarum Ordines suis Gallica à ditionibus tam generosè jam proscripserint, quos Franciscus Dominicus Comes deMonterey, Hispano-Belgis & Burgundis à Catholico Monarcha, vicaria potestate, tempore opportunissimo Præfectus, reducendam omnem Politices & Martis ad disciplinam necessarius, &erigendos ad Belgarum animos ab ipsis velut superis creatus& formatus, interdicto simili, procul dubio, sequetur. Hanc

belliſsimam, repeto, occaſionem, ſi Vos ad Rhenum, Moſellam, Mænum, Electores, Duces Principes, tempeſtivè modò prehendatis, ſi quod tantopere Veſtrâ intereſt, maturè expendatis, ſi moderamine vectigalium & incommodis emporiorum, proficuo Vobis maximè conceptui Belgarum occurratis, navigationem facilem reddatis, atque pretio ut tolerabili vina Veſtra comparari poſsint efficiatis, Gallica in æternum exulabunt, commercia Vobiſcum perennabunt, futuri quadruplo, in annos ſingulos, ut ſupra tetigi, negotiorum ob frequentiam, ditiores. Si verò hanc oblatam quaſi cælo facultatem modò negligatis, ſi Veſtro & Veſtrorum ſubditorum emolumentis non ſtudeatis, & ſi Veſtris & ſucceſ-

ſorum Veſtrorum commodis non invigiletis, valde timeo ne æterno Veſtro cum diſpendio, ab occipite occaſionem calvam, ſerò pænitentes, & commercia paulatim antiquùm rurſus obtinere videatis. Quid ſi & Imperator Noſter Leopoldus Moravam in Danubium, & Viadrum in mare Balthicum fluentem, foſsâ jungat? Id ſanè, ob fontium, in Teſcheniano Principatu, vicinitatem, facto facile Philibertus Cæſaris Architectus judicavit: Tunc profectò Hungarica Auſtriacàque vina, quorum ferè infinitâ regiones illæ copiâ abundant, beneficio junctorum amnium non modò omnes, ad mare Balthicum ditiones, ſed & confœderatas, Veſtro irreparabili cum detrimento, Provincias implerent, cùm Sereniſsimus

Ele-

Elector Brandenburgicus Friderico Guilielmian â ſuâ foſsâ Albi Viadrum jam unierit, magno illicio Mercurii tanti operis ad coronidem etiã alati. Vultisne plura dicam? Excellentiſſimus ille titulo ac ſapientia Johannes Ludovicus Comes à Sinzendorff, Cameræ Imperialis Præſes, ſui Cæſaris in emolumenta vigilans & experrectus, hoc eodem anno Johañem Joachimum Becher, Leopoldi Noſtri Imperatoris Conſiliarium, prudentia civili inſtructiſſimum, Amſtelædamum miſit, ſequentibus eum aliquot vinorum Hungaricorum & Auſtriacorum plauſtris quæ Batavis in ea Urbe & Primatibus Hagæ Comitum ad probam data, ſummopere palato placuêre. Hæccine autem Vos axe Viennâ & Poſonio deſideratum ad commer-

cium advehenda exiſtimatis? Averruncent Superi tantam ſapientiam à Noſtra Camera Imperiali. Vos videritis ad Rhenum, Moſellam, Mænum, Electores, Duces, Principes, ne ſæculum Vobis aureum nunc renatum & oblatum elabi per ſocordiam ſinatis, & cum Phrigibus inſanis ſerò ne ſapiatis. Scient enim, profectò ſcient Præpotentes & tam prudentes Unitarum Provinciarum Ordines ſibi modos, ſibi vias ſua ad compendia conciliare, quorũ ſtudio procul vino fæceque Gallica diſtillandum ad crematum nunc lebetes fumant, fervent artes manuales & textrinæ, pulſantque mallei ad compaginandam chartam, pro qua ſola hactenus Hollandi ad minimum octingenta florenorum millia annis ſingulis in Galliam miſêre.

Cum

Cum hiſce obſecro Imperij Romani Ordines ; obſecro Germani & Hiſpani , Britones ac Dani, Sueci, Livones & Pruteni , tandem oculos aperientes avitos mores reſumamus , non neceſſaria præſcindamus à ſuperfluis abſtineamus , ut qui nativis & genuinis , ſi uti libet , ipſimet abundamus, præda ulteriùs aſtutiæ Gallicæ ne ſimus , & commune noſtrum in emolumentum conſentientes , theſauros noſtros nugis & crepundiis Dominæ *La Mode* non permutemus. Sic enim Aurifodinam illam Gallicam obſtruxiſſe , erit Galliam , cataclyſmate nunc exundantem, deſideratos intra limites redegiſſe, Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitati proſpexiſſe, & ſecuritatem Orbi reddidiſſe.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Eſtas

Eſtat des Marchandiſes qui ſe ſe fabriquent en france & qui ſe transportent tous les Ans en Angleterre & Hollande, preſenté au Roy Tres-Chreſtien pour luy faire voir le profit qui luy reſultoit & a ſon Royaume du Commerce eſtranger & le dommage qu'il recevroit ſi luy apportoit quelque obſtacle par l'Interdiction qu'il avoit Commencé des Marchandiſes Hollandoiſes.

I. IL s'y tranſporte grande quantité de Velours plains & faconnez, Satins plains & faconnez, Toilles d'or & d'argent, Armoſis & autre Marchandiſes de ſoye, que ſe fabriquent a Lyon qui peuvent monter a plus de deux Millions.

II. En pannes Soyes. Taffetas. Poudeſoyes. Armoſis. Toilles & Moires d'or & d'argent, Tabis plains & faconnez,

nez, Rubans de Soyes & autres eſtoffes de Soye, qui ſe fabriquent à Tours, pour plus de quatre Millions.

III. Rubans de Soyes, Dantelles, Paſſements & Boutonneries, qui ſe fabriquent a Paris, Rouan S^t. Chamont, & S^t. Eſtiene en Foreſts, pour environ deux Millions.

IV. Plus un grand nombre de Serges, qui ſe fabriquent à Chalons, Chartres, Eſtainines qui ſe font a Reims, quantité de Sarges qui ſe font à Amiens, Crevecœur, Blicourt & autres Villes de Picardie, que ſe peuvent monter à plus de deux Millions.

V. En chapeaux de Caſtor Vigogne, Poil & Laine, qui ſe font dans la Ville & Fauxbourg de Paris, autre pluſieurs qui ſe font a Lyon, Rouen & autres lieux de Normandie

pour

pour plus de quinze cents mille livers.

VI. En Panaſches Baudriers, Ceinturons, Cordons, Eventails, Coiffes Maſques miroirs d'orrez & Eſmaillez, grants Boites de montres & Horloges & a mettre pourtraits, Medailles, tables & Bracelets & autres menues merceries, pour plus de deux millions.

VII. Gants, qui ſe font à Paris, Roüen, Vendome, Clermont, & autres lieux pour plus de Cinq Cents mil livers.

VIII. En fil de Sayette de laine qui ſe file par toute la Province de Picardie, il s'en envoye eſdits lieux, plus de Cinq Cents mil livers.

IX. Papiers de toute ſorte que ſe font en Auvergne, Poitou, Limoſin, Champagne & Normandie, pour plus de deux millions.

X. Eſpingles Eſguilles qui ſe

font

ſont a Paris & en Normandie enſemble en pignes de bois & autres plus de Cinq Cents mil livres.

XI. En Quinquaillerie, qui ſe fait en Foreſts & Auvergne, pour plus de Cinq Cents mil livres.

XII. Toilles, qui ſe font en Bretagne, Anjou & Normandie tant pour voiles qu'autres plus fines plus de Cinq millions.

XIII. Emmeublements, qui Conſiſte, en Lits, Matelas, Convertures, Tours de Lits de Diverſes Eſtoffes de Soyes, & autres garnis de Creſpines, Franges & Molets de Soye, plus d'un million.

XIV. Plus il s'enleve quantitè de Vins de Bordeaux, La Rochelle, Nantes, Roüen & Bayone, s'ils n'eſtoyent Envoyés Seroyent la plus part perdus & gaſtez cecy monte

a plus

a plus de huit millions.

XV. Eaux de vie pour la Hollande ſeul vient a Cinq mille pieces avec les vinaigres mõtent a plus de trois millions.

XVI. En Safran, Paſtel, Savon, Miel, Amandes, Olives, Capres, prunes & prunеaus pour plus de deux millions.

XVII. Cinq a ſix Cents Navires qui chargent du Sel Enbrouage, oleron, l' Ile de rets, la bay de bourgneuf Poulegin & au Croſil, pour plus de quinze cents mil livres.

En tout 38. Millions, tous les Ans.

Reſervé les bles, forment, ſeigle & orges qui ne ſe tranſportent, que dans les bonnes Annees.

FIN.

Bayerische
Staatsbibliothek
MÜNCHEN

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Wassenberg, Eberhard,

Aurifodina Gallica

S.l. 1673
Gall.g. 908
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10419596-8
VD17 1:071222Y